*LIBELLVS*

# DE MEMORIA,

VERISSIMAQVE BENE
RECORDANDI
SCIENTIA.

Authore G. P. *Cantabrigiense.*

*Huc accessit eiusdem Ad-*
monitiuncula ad A. DISCONVM,
*de Artificiosæ Memoriæ, quam publicè*
profiterur, vanitate.

LONDINI,
Excudebat Robertus
VValde-graue, Anno 1584.

# ORNA-

# tissimo viro

## *Iohanni Vernero*

## G. P. S. D.

POSTVLAVI A TE *iamdiu vel flagitaui potius (optime Vernere) vt veram memoriæ disciplinam*

*nam traderes: in magnam enim ſpem venio te illam tractante fieri poſſe, vt ipſa multorum iniurijs depreſſa veritas emergat, & velut ex longo interuallo ad aſpiciendam lucem reuocetur. Atqui hoc tibi eò magis eſſe faciendum cenſeo, primùm quòd officij tui ſit, deinde facultatis. Debes tu quidem hoc munus vel ipſis literis, vt quæ inprimis ornaſſe te videntur, per te eundem ſint ornatæ. Potes etiam*

*etiam tu profectò, si quis alius, hac in re multorum expectationi respondere, quippe qui mirifice instructus es reconditis scientiis rerum maximarum. Quocirca aggredere quaeso hãc nimis inopem & mendicam artem tuis quibusdam institutis, quasi dote locupletare, quam philosophi indotatam & incomptam reliquerunt. Nam artificiosa memoria primùm à Simonide manauit, eam-*

*éque poſtea Metrodorus limauit aliquantò politius: at horum ſcripta vetuſtate ſic exaruerũt, vt non appareant. Multis annis pòſt, Romani ad eiuſdem artis cupiditatem exarſerunt, cui cùm diu magni honores eſſent habiti, literis paulatim eſt cœpta mãdari. Sed, deus bone, quàm eius præcepta exigua ſunt in Tullio, ne in Quintiliano quidem multa, in Seneca & alijs pene nulla.*

*Effu-*

*Effudit quoq; hæc ætas noſtra multos, qui opinione quadam excellentis memoriæ illuſtrem tenuerunt locum. Horum in numero ſunt Petrarcha, Rauennas, Buſchius, Roſſelius. Verùm quid tam exile? quid tam putidum? quid tam ſpinoſum? quã iſti omnes? Mediusfidius nihil omnino ſanum & doctum ſapiũt, ſed potius olent barbarũ neſcio quid & Dunſicum. Quocirca relaxa, te*

*occupationibus tuis vel potius libera, & prome aliquid ex intimo artificio tuo quod mihi adiumento ſit, & teipſum ſummis laudibus illuſtret. Interim dum hæc ſuſcipias, mitto ad te libellum noſtrum hac de re conſcriptum, tenuem illum quidem fortaſſe, aptum tamen ad id quod volo, nimirum ad beneuolentiam erga te meam plenius illuſtrandam.* Vale.

# Libellus de Memoria

## CAP. 1. *De Memoriæ facultate.*

Emoria eſt facultas animi notiones acceptas à ſenſibus cuſtodiens. Nihil enim prodeſſe potuit, homini innatam eſſe rei percipiẽdæ vim, niſi haberet etiam eiuſdem retinendæ facultatem.

Memoriæ ſedem philoſophi in occipitio ſtatuunt. Sic enim omnes ferè dicunt. Cerebrum tribus donatur ventriculis : Primus ſeu anterior qui frontem reſpicit ſenſus communis ventriculus nuncupatur: quòd ab hoc quinque ſenſuum nerui deferuntur, & deinde

« inde horum beneficio odores, ſapores,
« ſoni, colores, tactiles qualitates in hunc
« ventriculum deducuntur : ſecundus in
« medio cerebri, phantaſiæ ſedes eſt: ter-
« tius memoriæ, in quem omnes rerum
ſpecies reconduntur. Sunt iſta mehercule opinionum commenta, vix aniculârum lucubratione digna. Etenim quæ ratio ſcriptores impulit, vt tres in omni animante ſenſus interiores ponerent? Num quòd iidem ſenſus actiones quaſdam habent proprias & ſuas? At falluntur illi vehementius qui rerum ſpecies, pro effectorum quæ producunt varietate, conantur fingere. Solis lux multos vſus & opportunitates habet, in calefaciendo, comburendo, exſiccando, perpurgando illuſtrando: iam autem pro his effectis lucis totidem ſpecies inter ſe diſcrepantes fingere, eſſet profectò delirantis imprudentiæ. Quid ergo eſt in cauſa, quò minus eadem in cerebro, & obiecta ſenſuum diſcernendi, & plenius æſtimandi, & recordandi ſit facultas. Id etiam in homine exploratè conſtat, intellectum

ctum ſenſus communis & phantaſiæ vires in ſe complecti. Idcirco non eſt memoria in occipitis anguſtiis collocanda, cùm potius ad omnes cerebri partes ſe ipſam fundat. Peripatetici hoc ſtrenuè totum negant, duáſque opinionis ſuæ cauſas afferunt: Prima, quòd occipitium durius ſit, ideóque ad retinendum firmius: altera, quòd læſa memoria, remedia tantùm occipiti à medicis adhibentur. Sunt iſtæ ratiunculæ, non modò non philoſophia dignæ, ſed ne mediocri prudentia quidem. Nam primùm, qui cerebri occipitium durius eſſe diceret, ex iis qui Anatomiæ laude floruerunt, inuentus eſt nemo. Quid? an eſt veriſimile, Galenum benè ſecandi laude inprimis illuſtrem, ſenſu hebetem fuiſſe & ſtupidum, nec cerebri natiuam compoſitionem perſpexiſſe? An Veſalius etiam lippientibus fuit & peruerſiſsimis oculis? An denique Columbus & Fallopius excellẽti induſtria viri, nunquam potuerunt ea diligenter inueſtigando eruere, quæ Peripatetici oſcitantes ſomniando inuene-

uenerant? Non credendum eſt hercule, nedum ſuſpicandum. Sed detur illis quod ne probari quidem poteſt, cerebri occipitium eſſe valde durum: quid altera tandem ratio? num ſatis eſt inſtructa ad opinionem noſtram, quod vehementer cupiunt, infirmandam? nequaquam certè. Nam ei ab omnibus penè medicis reclamatum eſt, qui curatione non tam occipiti quàm reliquo cerebro adhibita, memoriam debilitatam & languentem reficiunt.

Vetus opinio iamdiu philoſophorum ſcholas oppleuit, memoriam poſt hanc vitam extingui. Scio quid illis in mentem venit, cur ita loquerentur & ſentirent putidè. volunt, credo, mentem hominis hauſtam è cælo & delibatam eſſe: ſenſum autem affectus, & memoriam è corporis ferè ſordibus emerſiſſe: ideoque putant illam diſſoluto corpore in cælum remigrare tanquam in natiuam ſedem, hæc autem prorſus euaneſcere. Equidem ſi arbitrantur cuiuſquam animum poſt mortem ad eas ſedes euolare, vbi nihil non beatum & gau-

gaudii plenum ſit, cur animo ſenſum, affectus, memoriam detrahunt? cur eum ornamẽtis & decore ſuo ſpoliant? ſi tollunt memoriam, quî tandem voluerint res in hac vita præclarè geſtas recordari? Si ſenſus & affectus omnes occidũt, quæ vnquam liquidæ & ſinceræ voluptates ad animum poterint affluere? Hoc quidem animos eſt, fælicitate non modò non donare, ſed miſeriis omnibus vehementer affligere.

## CAP. 2. *de Memoriæ arte & de propoſitione.*

HActenus de memoriæ facultate dictum eſt: nunc viæ, quæ ad eam perficiendam ferant illuſtrandæ nobis & demonſtrandæ ſunt. Cùm facultates animi quas nobis inſeuit deus, infirmæ ſint & debiles ad eas limandas, adhibenda eſt quædam inſtitutio, conformatióque doctrinæ. Quare, vt cæterarum rerum diſciplinæ quædam extant: ita etiam eſt quædam ars tradenda, quæ poſſit augere & tanquam alere in nobis

nobis recordandi facultatem. Hæc autem tota ſecunda parte logicæ, nimirum diſpoſitione continetur. Diſpoſitionis enim præcepta elegantiſsimo, P. Rami artificio informata, non ſolùm ad iudicandum videntur, ſed etiam ad memoriam excitandam valere plurimùm. Ne multis, diſpoſitio logica duplex eſt, noëtica & dianoëtica. Noëtica eſt, quæ ex argumentis propoſitionem artificiosè componit. Quamuis autem propoſitionis diſpoſitio valde ſimplex & pertenuis ſit, memoria tamen ex ea ſingulare adiumentum capit. Fac enim aliquem eſſe qui cupit iſta recordari.

*Deus.*
*Homo.*
*Lutum terræ.*
*Anima rationalis.*
*Gloria Dei.*

Si hæc ſoluta ponit, ex animo ſtatim effluunt: neque memoria prius inſidebunt quàm accurata propoſitionis diſpoſitione vinciantur: Id quod fieri poteſt hoc modo.

*Deus*

*Deus homini creato ex luto terræ inſpirauit animam rationalem, vt in eo ſumma eius luceret gloria.*

Vſus propoſitionis in veterum ſcriptis ſæpiſſimè inſignis apparet. Nam ſi oratio longior memoria complectenda eſt, ea in breuem & perſpicuam propoſitionem (ſi fieri commodè poteſt) cogatur: hoc autem ritè & diligenter perfecto, tota oratio impreſſa in animo & inſignita manebit. Ac ne fortè hæc diſputare ieiunius videar, exempla quædam apponenda exiſtimaui.

## EXEMPLVM.

CIC. 6. De rep. *Cernis eandem terram quaſi quibuſdam redimitam & circundatam cingulis, è quibus duos maximè inter ſe diuerſos, & cœli verticibus ex vtraque parte ſubnixos, obriguiſſe pruina vides. Medium autem illum & maximum, ſolis ardore torreri: duo ſunt habitabiles, quorum auſtralis ille, in quo qui inſiſtunt aduerſa nobis vrgent veſtigia, nihil*

*nihil ad noſtrum genus. Hic autem alter ſubiectus Aquiloni, quem incolitis, cerne quàm tenui parte nos contingat.*

## EXEMPLI IN PROP. COLLECTIO.

Ex zonis terræ duæ intemperatæ, vna torrida, duæ temperatæ.

## EXEMPLVM 2.

Ouid.2. *Regia ſolis erat ſublimib. alta columnis,*
*Clara micante auro, flammáſque imitante pyropo,*
*Cuius ebur nitidum faſtigia ſumma tegebat,*
*Argenti bifores radiabant limine valuæ*
*Materiã ſuperabat opus: nam Mulciber illic*
*Æquora cælarat medias cingentia terras.*

## PROPOSITIO.

Regia ſolis facta eſt ex auro, pyropo, ebore, argento, & cælata à vulcano.

## CAP. 3. *De Syllogiſmo.*

DIſpoſitio dianoëtica duplex eſt, ſyllogiſmus & methodus. Syllogiſmum non nihil ad memoriam confir-

man-

mandam valere, id magno nobis documento esse potest, quòd eius partes eleganti dispositione aliæ ex aliis nexæ, & omnes inter se aptæ colligatæque sunt. Syllogismi in veterum monumentis vel contracti sunt & nudi, vel magis diffusi atque dilatati. Si nudi sūt, eos memoriæ mandare haud molestum est, ita nescio quo pacto rerum consequentia facit, vt in animum cum suauitate quadam illabantur: sicut in his quæ sequuntur exemplis constat.

## EXEMPLVM 1.

CIC. 3. Tusc. *Munus animi est ratione vti: & sapientis animus ita semper affectus est, vt ratione optimè vtatur. Nunquam igitur est perturbatus.*

## EXEMPLVM 2.

CIC. 2. Off. *Quicquid enim iustum sit, id etiam vtile esse censent. Itemque quod honestum idem iustum: Ex quo efficitur vt quicquid honestum sit, idem sit vtile.*

EXEMPLVM 3.

Ouid. *Cum Paris Oenone poterit ſpirare relicta*
*Ad fontem Xanthi verſa recurret aqua.*
*Xanthe retrò propera verſæque recurrite lymphæ:*
*Sustinet Oenonem deſeruiſſe Paris.*

Sorites etiam hîc nonnullum vſum habet, quippe qui ex aliquot. Syllogiſmis compoſitus eſt.

EXEMPLVM.

CIC. 3. Off. *Atque ſi etiam hoc natura præſcribet, vt homo homini quicunque ſit ob eam ipſam cauſam quod is homo ſit, conſultum velit: neceſſe eſt ſecundum eandem naturam, omnium vtilitatem eſſe communem. Quod ſi ita eſt, vna continemur omnes & eadem lege naturæ: Idque ipſum ſi ita eſt, certè violare alterum lege naturæ prohibemur: verum autem primum, verum igitur & extremum. Quod ſi fortè in longioris orationis ambitu ſyllogiſmus partes magis diffuſas & explicatas habet, illæ in auguſtum premendæ ſunt, & earum proſyllogiſmi omnes breuius deſcri-*

*ſcribendi : alias enim eſt neceſſe, memoriam rerum varietate & copia nimis depreſſam oblangueſcere.*

## EXEMPLVM.

CIC. De leg. *Atticus. Lucus quidem ille, & hæc Arpinatium quercus agnoſcitur ſæpè a me lectus in Mario. Si manet illa quercus hæc eſt profectò. Etenim eſt ſanè vetus.* QVINTVS. *Manet verò Attice noſter, & ſemper manebit : ſata eſt enim ingenio : nullius autem agricolæ cultu ſtirps tam diuturna quam poetæ verſu ſeminari poteſt.* Att. *Quo tandem modo Quinte? aut quale eſt iſtud quod poëtæ ferunt? mihi enim videris fratrem laudando ſuffragari tibi.* Q. *Sit ita ſanè: verum tamen dum latinæ loquentur literæ, quercus huic loco non deerit quæ Mariana dicatur : eáque, vt ait Scævola de fratris mei Mario.* Pròp.

*Caueſcet ſalis innumerabilibus. Niſi forte Athenæ tuæ ſempiternam in arce oleam tenere potuerunt : aut quod Homericus*

*Vlysses Deli se proceram & teneram palmam vidisse dixit, hodie monstrant eandem: multáque alia multis locis diutius commemoratione manent, quam natura stare potuerunt. Quare glandifera illa quercus ex qua olim euolauit*

*Nuncia fulua Iouis miranda visa figura.*

*nunc sit hæc: sed cum eam tempestas vetustasue consumpserit tamen erit in his locis quam Marianam quercum vocent.*

## EXEMPLI ANALYSIS *syllogistica.*

SI manet illa quercus hæc est profectò. *Hæc propositio illustratur adiuncto.* 1. *vetustate.*

Sed manet illa quercus. *Hæc assumptio probatur.* 1. *à causa efficiẽte. quercus manet fama non natura.* 2. *Illustratur a paribus. Dum latinæ loquentur litteræ quercus huic loco non deerit. Vbi additur testimonium Scæuolæ.* 3. *vt Athenis olea & Deli palma commemoratione manent non natura: ita quercus.*

Ergo hæc est. *Complexio continet descriptionem*

*onem quercus ex adiunctis, quòd glandifera sit quòd ex ea euolauit aquila.*

## CAP. 4. *De methodo.*

ETSI propositionis & Syllogismi dispositiones singulare memoriæ lucem præbent: tamẽ si quærimus quid vnum ex omnibus eam maximè confirmet, methodo certè palma dãda est. Hæc enim est aurea catena cuius comprehensione infinita rerum materies sic deuinciri poterit, vt alia ex aliis facillimè consequantur. Fingamus hominem agrestem & rudem teneri studio capiendæ disciplinæ. Difficile, credo, fuerit illius emollire animum ad vtiles doctrinæ fatus excipiendos. Verùm si spes iniecta fuerit, posse illum doctrina instructum euadere, methodus per se id totum pene effectum dabit. Ac ne quis me forte putet methodo falsas laudes affingere, hoc totum quod dico exemplo sequenti experiatur.

# Ethicæ typus.



# de Memoria.

## CAP. 5.

MVlti sunt quibus etsi dispositio logica valde placet, alias tamen iuuandæ memoriæ rationes inuenerunt. Nam si res occurrit, de qua vellent plurima recordari, illam statim per omnes argumentorum locos deducunt. Vt (verbi gratia) Si esset illis de homine vel dicendum, vel differendum vel cõcionandum, hunc in modum agerent.

*Causa efficiens.*

Deus
Pater } —— Homo.
Mater

*Materia.*

Lutum terræ
Semen —— } —— Homo.

*Forma.*

Anima rationalis } —— Homo.

*Effecta.*

Dicta
Scripta
Facta
Consilia } —— Homo.

*Finis.*

Gloria Dei } —— Homo.

*Subiecta.*

Locus
Res obiectæ circa quas versatur } —— Homo.

*Adiuncta.*

Possessiones
Virtutes
Artes
Vestitus } —— Homo.

*Diuersa.*

Homo doctus } Sed non diues.
Homo fortis } Sed perpusillus.

Dis-

# de Memoria.

*Disparata.*

Cælum terra } —— Homo.
Arbor lapis }

*Relata.*

Homo dominus } { Homo seruus.
Homo pater } { Homo filius.

*Aduersum.*

Brutum } —— Homo.

*Contrad.*

Homo } —— Non homo.

*Priuantia.*

Ebrietas } { Sobrietas } hominis.
Paupertas } { Diuitiæ }

*Paria.*

Homo tam habuit liberum arbitrium quam Angeli.

Homo fortis } —— Quam iustus.
tam prodest }

*Ma-*

# *Libellus*

*Maiora.*

Hominis excellentia } —— Bruti.

*Minora.*

Res terrenæ deteriores } — Homine.

*Similia.*

Homo } Bulla.
Homo deo } Lutum figulo.

*Dissimilia.*

Spiritus } —— Homo.
Aer }

*Coniugata.*

Humanus } —— Homo.
Humaniter }

*Notatio.*

Humus } —— Homo.

*Distributio.*

Homo —— { Socrates. Plato. Aristides.

*Definitio.*

*Definitio.*

Homo}——Animal rationale.

EQuidem vt vtile hoc illorum consilium esse fateor: ita artem aliquam memoriæ in eo contineri nego. Etenim ista rei per locos diductio a naturali recordantium consuetudine aliena est. Nihil autem est in arte vlla describendum, quod ab vsu & experientia abhorret. Neque verò hæc memoriæ via iuuat omnes, sed eos solum qui & in dialecticis periti sunt, & in pluriniorum libris studiosè volutati.

CAP. 6. *De exercitatione.*

EX omni antiquitatis memoria facile constat, plures in cæteris rebus quam in recordando admirabiles extitisse. In causa profecto est, non quòd memoriæ cognitio abditis è fontibus hauriatur (quid enim potest excogitari facilius?) sed quòd exercitationes ad eam

eam conformandã imprimis maximæ requiruntur. Caput certè eſt, vt verè dicam, quod nemo propter inſigné moleſtiam facit, quam diligenter meditari. Meditationis autem via prudenter a
" Quintiliano patefacta eſt. Sic enim ille,
" Modus, inquit, eſt per partes ediſcere,
" & quidem modica voce & tacito quo-
" dã murmure, vt duplici motu memo-
" ria iuuetur & dicendi & audiendi. Mi-
" rum verò dictu eſt, nec in promptu ra-
" tio, quantùm interpoſita nox afferat
" firmitatis, ſiue quieſcit labor ille ſiue
" maturatur & coquitur. Diuinum hoc Quintiliani conſilium eſt & aureolis deſcribendum litteris. Facit enim vt, res non modò a nobis intellectæ ſint, ſed etiam memoria quaſi vallo quodam munitæ & circumſeptæ.

Non alienum erit a litteratorum ſtudiis Pythagoræ conſuetudinem ſequi, cui poſitum in more fuit, ea, quæ die toto ſecum commentatus eſſet, noctu, priùs quam ſomnum caperet, diligentius repetendo obſeruare. Videbat, opinor, homo ſapiens, quicquid diurnis

cogi-

cogitationibus in animo impreſſum erat leuiter, idem nocturnis, ad memoriæ diuturnitatem altius conſignari. Poſtremo id nobis argumenti ſatis eſt, memoriam præcipuè vſu perficiendam eſſe, quòd eius vires & facultates omnes laboris intermiſſione exarescunt.

## CAP. 7.

DE Memoriæ conſeruatione extant conſilia medicorum non illa quidem contemnenda: eò quòd ex iis immenſi fructus ad litterarum ſtudia redundant. Ferunt Hippiam Eleum memoriam valde collapſam medicamentis quibuſdam reſtituiſſe: & Carneades Helleboro aciem mentis acrem & acutam reddebat: ſicut antiquiſſimæ loquuntur hiſtoriæ. Quocirca quæ medici totis penè voluminibus diſputarunt, eadem ego in vnum locum, velut in exiguum gyrum compellam.

Memo-

Memoriam destruunt
- Curarum varietas.
- Tumultuaria librorũ lectio.
- Immodicus pudor.
- Inertia.
- Somnus nimius.
- Somnus ſupinus.
- Crapula.
- Nimia Venus.
- Nocturnæ lucubrat.
- Cœpæ.
- Iuglandes.
- Cœnæ magnæ.
- Capitis lauatio.
- Capitis in aquam immerſio.
- Longiores capilli.

## MEMORIAM CONſeruant

1 Cerebrum { galli / paſſeris / perdicis } come ſtum.

2 Semen Coriandri decoctum aceto & incruſtatum ſaccharo.

3 Conſerua Cotoniorum a cœna vel prandio ſumpta.

4 Odor

4 Odor
- Ligni Aloës.
- Vetonicæ coronariæ.
- Florum Roſmarini.
- Nigellæ.
- Roſæ rubeæ.
- Ocini.
- Spicæ Nardi.
- Florum Periclymeni.
- Stæchados.
- Seceræ.

5 Carduus benedictus cum cibo ſumptus.

6 Oleum
- Caſtoris.
- Nigellæ.
- Euphorbii.
- Coſti.

7 Lilium conuallium cum forti vino diſtillatum, & exigua quantitate hauſtum.

Euphorbiæ puluis.
Frictio.

*MEMO-*

## MEMORIAM CONSERuant, si cerebrum sit humidum & frigidum.

Maiorana.
Peönia.
Viscus.
Hyssopus.
Betonia.
Iridis radices.
Enula campana.
Rhaphanus.
Zedoaria.
Cassia.
Cynamomum.
Nux myristica.
Macer.
Zinziber.
Melissophillum.
Verbasculum.

## MEMORIAM CONSERuant, si cerebrum frigidum est & siccum.

Buglossa.
Amygdolæ dulces.
Pistaccæ.
Nux auellana.
Saccharum.
Mel.
Pineæ nuces.
Lilium aquaticũ.
Glycyrrhiza.
Vinum dulce.
Nux castanea.
Malum punicum.
Oua recenter excluſa.
Butirum nouum
Vuæ passæ.

FINIS.

# ¶ Ad Alexandrum Disconum admonitiuncula de artificiosæ memoriæ quam publicè profitetur vanitate.

OLim ferunt, *Discone*, Mineruæ signum simul & aspectum & probatum fuisse. Cum libello tuo minus actum est præclarè, quem aspexisse multos audio, probasse vix vllos. Causam si quæris, duæ inprimis patent, in promptúque sunt omnibus, quarum vna in verbis est, in rebus altera. De verbis quid multi sentiunt paucis habeto. Quod in cibis capiendis plerunque fit, idem vsu venire solet in scriptis hominum. Cibos nolu-

mus,etiam suaues & succulentos, qui non condîti sunt iucundiùs: & doctis. hominis scripta vix placent quæ illuminatè non loquuntur & splendidè.

Libellus tuus quem puri sermonis florem habet? quod planæ & illustratæ orationis lumen? haud quaquam herclè olet romanam puritatem, sed inquinatum nescio quid & barbarum. Dixeris,in philosophiæ locis eloquentiam non decere, nec illam tantopere molli oratione ac mirificè pellucenti esse vestiendam. Non est hæc causa Discone,quam dicis, cur velles obscuritatem quandam & velut noctem scriptis tuis offundere, sed illa potius vt viam munires tibi ad pecuniam comparandam. Præsensisti enim homo sagax futurum, vt multi perficiendæ memoriæ studio flagrantes ad te celerrimè conuolarent, vt sensa libelli tui aureis vel saltem argenteis hamis possent expiscari. Iam enim diu sermo fuit,neminem te prius in disciplinam recipere, quam tibi viginti nummos asperserit. Quantus es tu, Deus bone,

gur-

gurges? quanta Vorago pecuniæ? non te decet lectiſsimos adoleſcentes in ſcholã tuam ſumma quæquis promittendo inuitare, & pueriles nugas explicando, pecuniam iis quantamcúnque poſſes abradere. Equidem ſi hoc feciſſes in iis terræ locis Vbi homines nec ad humanitatem mitigati, nec literis exculti ſunt, eſſet fortaſſe magis probandum: at in Anglia, quæ multos omni doctrina politiſsimos alit, & quod caput eſt Londini, inuentutem erectã ad omnem laudem ſtultisſimis opinionibus imbuere, nequaquam eſt ferendum. Quocirca reſpiret parumper cupiditas & auaritia tua, deſine tandem tam magnum & vberem quæſtum ex nugis facere: niſi libenter velis eam tibi infamiam conflare, quam nunquam vita ſequens eluerit.

Vides cauſam quæ facit quo minus verba nobis placeant: nunc paucis conabor artificioſam memoriam a te magnopere commendatam infirmare & euertere. Statuis hanc artem primò ſubiecta & vmbras inuenire, deinde, vi

animationis & methodi, vmbras eas-dem in locis collocare. At totum hoc nego, artémque hanc fictam & somniatam ab antiquis fuisse aduersus te contendo.

*Vera artis descriptio proficisci debet ab vsu & experientia.*

*Artificiosæ memoriæ descriptio per locos, vmbras, animationem, methodum, non est ab vsu & experientia profecta.*

*Ergo in iis non consistit veræ artis memoriæ descriptio.*

Non adduco contortum & aculeatum paralogismum, sed sanum & neruosum constantis iudicii syllogismum. Quid tandem est, quod hîc refellendum existimas, *Discone*? quam tu latebram ad occultandum errorem tuum adhibebis? an primùm artem omnem ab vsu tanquam a fonte suo negabis profluere? at caue tum, ne ipse peregrinum esse te & hospitem in artis confirmandæ institutis demonstrabo. Nam ex omnibus nihil reperitur aliud, quod artes præceptis suis depingere & illuminare possint, nisi quod in homi-

hominum vſum & conſuetudinem cadit: ſic Rhetorica ſolam eam eloquentiam deſcribit, quæ quondam ex Romanorum linguis melle dulcior fluebat & liquidior: ſic Dialectica non fucatas diſſerendi ſubtilitates exponit, ſed potius deliniat expreſſam & eminentem effigiem naturalis ac humanæ rationis. Verùm cùm res illæ quæ in communem vſum veniunt ſingulares ſint, niſi aliqua certè ratione vniuerſales fiant in exiguum alicuius artis orbem traduci nunquam poterint. Adhibenda itaq; ſunt principia quædã quæ res diſperſas cogant & naturæ cõmunione cõſtringant: ea verò inprimis quatuor ſunt, ſenſus, obſeruatio, inductio & experientia. Senſus primùm res ſingulares percipit, deinde obſeruatio res ſæpiuſcule perceptas notat, poſtea inductio res notatas colligit, deniq; experientia res inductas & inter ſeſe colligatas confirmat: atq; ita diſpoſitio logica ex iiſdem rebus accuratum & generale artis theorema componit. Hæc via eſt, hæc ſola ratio, qua viri prudentes arti-

um præcepta inuenienda esse voluerunt. Quod si forte occurrit aliquid non ex vsu natum, nequaquam est putandum esse illud sicci & sani hominis consilium, sed potius ridiculum affecti ingenii somniũ. Olim in philosophorum scholis inhabitabilem esse torridam zonã iactatum est, ac opinionem eam anilem & commentitiam esse quotidiana docuit experientia. Nam cùm Lusitani euecti ex Hispania perlustrassent omnes oras noui orbis, abesse zonam illam ab omni iniuria caloris experti sunt. Imò (quod mirandum est) in America calor tum maximè leuis & temperatus est, cum sol in regionis vertice consistit. In monumentis est Scythiam Pigmæos alere, & Aphricam homines ad omnem deformitatem insignes procreare. Meræ fabulæ: quippe experientiam habemus reclamantẽ. Sed istas res ab arte remotas mittamus, atque de artium præceptis disseramus. Grammatici verbum in sex modos partiti sunt indicatiuum, imperatiuum, optatiuum, potentialem, subiunctiuum

uum, infinitum. At hoc imperitè fieri iam vſus docuit, quoniã ſcriptores illi qui vnquã politè & emendatè ſunt loquuti modos inter ſe cõfundũt. In Logica demonſtratiuus ſyllogiſmus exiſtimatur eſſe non inuentũ alicuius hominis, ſed diuinũ potius oraculum, ad nos è cœlo transfusũ : ſed re certè vera Sophiſma eſt veritatis inane, ſtultitiæ pleniſsimũ: quia nunquam in cõmunẽ rationis vſum ſolet cadere. Sic omne omnino præceptũ non ab vſu deriuatũ, in liberales ſcientias vel temerè illapſum eſt, vel a ſophiſtis ſtudioſè accerſitum. Conſtat ergo, *Diſcone*, artium inuentorem eſſe & emendatorem vſum.

Pergamus iam deinde ad aſſumptionem, eámq; omnibus præſidiis muniamus. Affirmo artem memoriæ quam ipſe inſtituiſti, non eſſe natam ab vſu hominum benè a natura recordantiũ, ſed in Græcorũ vmbraculis a Sophiſtis, qui & otio & ingeniis vberrimis affluebant, cogitatã. Quod ita eſſe hoc modo facile potes agnoſcere. Sciſcitare, ſi placet ab iis qui vnquam Theologorum

rum concionibus interfuerunt, quibus nimirum rationibus res auditas recordati sunt: respondebunt sat scio, primùm se thesim ipsam obseruare, deinde mentem in singulas eius partes intendere, denique minutissimas earum explicationes colligere. Hunc ordinem mirificè laudibus efferent, eúmque dicent illum esse, qui tot memoriis hominum adiumenta apportauit. Percunctare deinceps illos, an vnquam locos capiant & vmbras effingant animo, vt audita firmissimè complexa teneant. Confiteri certè volunt, se nunquam artem tuam nouisse, eámque prorsus abhorrere a vulgari hominum intelligentia. Fortasse iam dices me Sophisticè nugari. Quid? egone nugator sum? adeone tua mens erroribus densa est & spissa, vt non sentiat quomodo te aniles Prosopopœias somniantem conuinco? affirmo artificiosam memoriam non ex ingenio & opinione alicuius philosophi, nec ex aliqua præcipuè schola, sed è naturali memoriæ vsu, qui in omnibus relucet, hauriendam esse.

esse. Quid igitur est *Discone*, quòd te leuiusculæ & inconstantes nugæ tantopere delectant? quid tandem habet artificiosa memoria tua boni? quid ficti loci? quid futiles vmbræ? quid plumbea methodus? quid exilis animatio? quid hæc tota ad inanem pompam comparata ostentatio? Inania sunt ista, mihi crede, vinolentorum somnia, inuenire vmbras, inuentas disponere & animare. Video iam quid fuit, quod dialogi tui tantis verborum integumẽtis inuoluti sunt. Verebare, credo, ne artis tuæ mysteria in vulgus emanarent, quibus enunciatis omnem tuã acquirendæ pecuniæ spem necesse fuit euanescere.

Etsi natura mitis sis, *Discone*, nec ita multùm exardére possis iracundia, tamen vereor multùm ne ipse stomachari cæperis. Vix æquo & tranquillo animo ferre potes, artificium illud a nobis adeo vehementer extenuari, quo nomen tuum apud Anglos mirificè illustratum est & nobilitatum. Dices enim me nunquam veritatem attigisse, esse artificiosam memoriam a te descriptam

tam & arduam & subtilem, posse illos qui vel mediocriter eius cognitione instructi sunt, ad singularem ex memoriæ commendatione laudem aspirare. Credo. At non omnis doctrinæ institutio, quæ vsum aliquem in humana vita præbet, statim probanda nobis est & retinenda. Astronomia vtilis illa quidem est ad explicandos stellarum omnium motus, tamen nihil magis sophisticum est, nihil magis improbandum. Tota enim fere non ex veris præceptis, sed ex vanissimis hypothesibus composita est. Nusquam certè anus tam excors est, quæ vllos esse in cœlo vel epicyclos, vel eccentricos, vel circulos æquantes putet. In Arithmetica quid regula falsi si vsum spectemus illustrius? At si rem ipsam quid leuius? quid vnquam a philosopho inuentum est languidius? etenim omnes disciplinæ etsi magnos vsus habent, amittunt tamen splendorem suũ, & prorsus obsoleſcunt, nisi ratione iam ante dicta inuentæ fuerint & cogitatæ.

Hactenus memoriæ falsam artem sustuli:

ſtuli: nunc dabo operam ſi modo fieri poſsit, vt accuratior aliqua & verior nota ſit. Sic igitur exiſtimo diſpoſitionẽ logicã optimã eſſe memoriæ cóformãdæ & poliendæ diſciplinã. Obiiciet aliquis diſpoſitione Logica nos nequaquã notiones ſimplices, ſed diſpoſitas tantùm recordari poſſe: ideóque in ea memoriæ artem haud quærendam eſſe, quia ſicut memoriæ facultates vel earũ potius vſus ad res omnes omnino recordandas pertinent: ita artis quæ illas deſcribit vſus, ad omnia ſeipſum porrigere & explicare debet. Equidem cum P. Ramo liberè confiteor memoriæ perfectam artem aut nullam adhuc inuentam eſſe, aut ſi vlla per naturam eſſe poſſet, illam ipſam eſſe diſpoſitionẽ logicam. Ac ne fortè putes fluctuantẽ eſſe meam ac inconſtantem hac de re ſententiam, operæpretium vnam aut alteram ratiunculam adiungere.

*Tot res in vnaquaque arte deſcribendæ ſunt, quot ſunt in eius propria & naturali materia. Nam ſi aliquid ab ea detraxeris,* Prop.

*ars*

*ars erit decurtata, si contrà adieceris aliquid, videbitur esse nimis portentosa.*

Assump. *In materia artis dialecticæ. I. In naturali rationis vsu non solùm est facultas inueniendi & iudicandi, sed etiam recordandi.*

Conc. *Ergo hæ tres facultates in Logica describẽdæ sunt. Inuentio autẽ a conformanda memoria tota aliena est. Igitur dispositio vt benè iudicandi sic benè recordandi est scientia. Etenim sicut naturalis dispositionis vi res elapsas recordamur: ita artificiosa dispositio facit vt res easdem benè recordemur.*

Animaduertis, *Discone*, quomodo veram memoriæ iuuandæ artem inueni? & quomodo fregi authoritatem disciplinæ tuæ? nam si dispositio Logica est natiua & Germana benè recordandi ratio, quàm tu ineptè facis qui iuuentutem velis alia quadam quasi inculta & syluestri via ad eandem laudem peruenire? Quocirca si vlli fuerint qui artificii tui desiderio nimis incitati rapiuntur, discant eam per me licebit, si tenebunt in ea discenda & exercenda modum: quoniam

ea

ea sic comparata est, vt tanquam vinum leue gustatum magis quam potatum delectet. Sed profectò si optio daretur mihi, literarum studiosos in dispositionis vsu diligentissimè exercitatos esse vellem: tantum ego in illo pono esse ornamenti viro literato.

Hæc de arte tota diximus, iam ad eius partes minutius enucleandas accedamus. Adhibeamus autem ad eam rem fœlicius præstandam Aristoteleas illas de materia déque forma artis leges, quibus & verum inueniri, & errorum omnes fibræ amputari & reuelli possint. Materiæ leges sũt κατὰ παντὸς, καθ' αὐτὸ, καθόλου πρώτου. κατὰ παντὸς lex veritatis requirit, vt nullum sit falsum artis principium, sed omnia omninò necessarióque vera. καθ' αὐτὸ lex iustitiæres omnes, quæ in alienas artes effluunt & redundant, suis quibusdam ripis & alueis coërcet. καθόλου πρώτου requirit vt quodlibet præceptum sit reciprocum, id est vt generalia cum generalibus: specialia cum specialibus coniungantur. Quod si fortè generale

aliquid

aliquid speciei tribuerimus, perinde faciemus ac illi, qui Herculis cothurnũ conantur aptare infantis pedi: & contra generi speciale aliquid tribuere, est ac si quis pumilionis habitu gigantem vestire cuperet. Lex quæ est de forma artis præcipit, vt omnia pro naturæ suæ claritate disponãtur, natura prius priore loco posterius posteriori. Ergo iã his legibus, artis tuæ præcepta tanquã ad accuratã aurificis staterã perpẽdamus.

Agedum, definitione omissa quomodo artificiosam memoriam partiris? artis inquis, duæ partes sunt prouidentia & criterium. At prouidentia nõ est eius natiua & germana pars sed aliunde ducta & accersita. Haud quaquam enim alia est ab inuentione Logica, cuius præceptis omnia rerum subiecta & vmbræ inueniuntur. Gratulor iam, *Discone*, ingenii tui summæ fœlicitati: vicisti omnes tu philosophos & copia & subtilitate differendi, dignus es qui primus ab Olympiis coronã petas. Inter homines sapientissimos constare video Aristotelem sic egregiè subtilem scriptorem

torẽ eſſe, nihil vt fingi poſsit diuinius: tamen iidẽ cum Proſopopœiam tuam legerint, facile exiſtimabunt cæteros ab Ariſtotele ſemper omnes, ſed ab *Alexandro Diſcono* illum ipſum eſſe ſuperatũ. Ariſtoteles ſexdecem tantũ in Organo inuẽtiones deſcripſit, primam Categorematum, ſecundam Categoriarũ, tertiam medii, quartam medii apodictici & in topicis quatuor inſtrumentorũ, quintam propoſitionum, ſextã ambiguorum diſtinguendorum, ſeptimam differentiarũ, octauam ſimilitudinum, nonã accidẽtis ſimplicis, decimã accidẽtis comparati, vndecimam generis, duo decimã proprii, decimamtertiã definitionũ, decimamquartã eiuſdẽ & diuerſi, decimam quintam interrogantis, decimã ſextã reſpondentis. His omnibus tu alterã a te ſolũ inuentam adieciſti, inuentionem ſcilicet ſubiectorũ & vmbrarũ ad recordandũ vtilẽ. Medius fidi us eſſes animi nimis ieiuni & anguſti, ſi nolles de tã præclara inuentione magnificentiſsimè gloriari. Quin itáq; pergis cũ archimede clamare εὕρηκα εὕρηκα

Quippe

quippe illius de coronæ mistione tuum de inuentione pulchrum est inuentum. Sed inquiramus tamen in inuentionem tuam, vt omnes intelligant quam ea prudenter excogitata sit. Vis opinor, eam in capiendis locis, & vmbris, id est argumentis, quæ ad rem alteram significandam affecta sunt, quærendis occupari. Optimè. at quorsum ista & quem ad vsum? vt vmbræ in locis disponantur ad memoriam confirmandam. O nugæ! O mendacia! O *Disconiana* vmbræ trunci cuiusuis & stipitis vmbra leuiores! Etenim inuentio argumenta nudè exhibet & cogitat, vsurpantur autem solummodo in axiomate ad docendum, declarandum, illustrandum, exponendum &c. in syllogismo ad probandum, confirmandum, refellendum, &c. Hi argumentorum naturales vsus & veri sunt, nec alios in humana vita constat vllos esse. quocirca videris mihi argumentis abuti miserè, cum ea in locis disponenda esse velis ad aliquid recordandum.

Quoniam ex istis scopulosis cotibus nostra

noſtra iam enauigauit oratio, ad reliqua Proſopopœie, feſtinemus. Subiecta definis vmbrarum receptacula: deinde diſtribuis in abſoluta & adiuuantia: poſtremò multas ſubiectorũ legis accumulas. Videris me herculè tantùm memoria valere, nihil vt iudicio poſsis. Quis vnquam ſic imperitè artis præcepta ſtruxit & coagmentauit? certè nimis es, cùm in rebus inueniendis imperitus, tum in iiſdem accuratè inſtruendis diſſipatus. Conſtat enim leges ſubiectorum, quia naturæ dignitate illuſtriores ſunt, eorundẽ partitioni anteponendas eſſe. Sed quoniam mihi videris tenuiter eſſe ad artis informandæ rationẽ eruditus, ego te paucis admonebo, quibus facillimè rationibus eam conſequi posſis. Sic igitur in vera ſcientiæ alicuius conformatione præcepta ſe inuicem alia ex aliis conſequuntur.

1 *Definitiones, quia ſummã rei naturam continent.*

2 *Diſtributiones in membra.*

3 *Explicationes proprietatũ, hoc eſt cauſa-*

*rum, effectorũ, adiunctorũ &c. Quæ appellãtur loci cõmunes, axiomata, maximæ, leges.*

4 *Distributiones in species.*

5 *Illustrationes per exempla, quia præceptorum omnium & veritatem illustrant & vtilitatem complectuntur.*

Hæc eorum via est, hoc institutum, qui vnquam ad componendas artes, ac curatius quoddam disponendi & exquisitius attulerunt genus. Igitur quæ te ratio mouebat, vt ab eo curriculo deflecteres quod doctissimi homines tritum & suis impressum vestigiis reliquerunt? Sed mittamus hæc & tibi parumper auscultemus elegantissimas leges promulganti. Ex omnibus tuis legibus illa vna est, non debere subiecta esse nimis illustria. quid ita optime legum architecte? quia maximè inquis præfulgẽti splendore offendunt. Offendunt? quid? oculúmne vis an animum? si oculum, quî tandẽ id eueniet, cum visus rarò locos & subiecta percipit? si animum, vide in quantas plagas teipsum induis. Nam cur dicemus lucis splendore mentis obscurari intelligẽtiam?

tiam ? quis vnquam veterum, vel promulgauit vel tulit iſtam legem? multa de luce diſſeruit Plato,quædam Ariſtoteles,plurima Vitellio, haud pauciora multo Alazẽnus.At deus bone,an iſtorum nemo vidit, quod hic memoriæ ſummus artifex *Diſconus?* Mirandum hercule.Erant illi credo rerum iſtarum imperiti, nec ad tam exquiſitam literarum ſcientiam aſpirauerunt. Verùm age, exuſcita paruiper dormitantem mentem & nimis conſopitam,intende in rem præſentem omnes ingenii tui neruos, vt lapſum & errorem tuum animaduertas. Igitur hoc teneto, etſi oculi clariſſimo lumine perſtringantur & hebeſcant, cum intellectu tamen meliuſculè actum eſſe, quem nec ſplẽdor vllus, nec ipſum ſolis iubar poteſt obtundere. Quòd poſtea requiris parallela locorum interualla & interiectas areæ partes delẽdas eſſe, leuiora ſunt quã vt refelli poſſint,& in iis Roſſeluis tuæ fecis homo tibi refragatur.

Satis ſubiectorum doctrinam excuſſimus: nunc efficiam,vt rationum mea-

rum splendore,omnes vmbræ tuæ dispergantur & euaneſcant. Quomodo ergo inuolutam vmbræ naturam definiendo euoluis?Vmbra,inquis, & effecta rei ſpecies credita ſubiecta ad firmam illa quidem perceptionẽ aſſumpta. At omnem vmbram alicui ſubiecto creditam eſſe non placet. Vt enim milites eſſe poſſunt etſi in aciem nondum ſint inſtructi; & picturæ rerum ſunt, quamuis in tabulas non illigantur: ita quid impedit quo minus exiſtant vmbræ,quamuis in locis collocatæ & concluſæ non fingantur. Nam primùm nudè inueniendæ ſunt,deinde in ſubiectis diſponendæ. Hîc poſſem tuis te acuminibus pungere, qui libellum totum nudis vmbrarum exemplis mirificè cumulaſti.

Vmbras diſtribuis in duas ſpecies, ſimplices & modificatas. Qui habet *Diſcone*,peritiam quæ eſt in te, ne ille multùm abeſt quin ſit valde ſapiens. Quam tu bellam differentiam,imo quã ineptiis omnibus infucatam propoſuiſti. Quippe res ſenſiles non modò

vm-

vmbras ſimplices habent, ſed etiam modificatas: ſicut etiã res illæ quæ vniuerſales dicuntur. Accedit, vmbras tuas ſimplices nullam vmbræ ſpeciem facere. Aliud eſt res ipſa, aliud rei in animo efficta & conſignata ſpecies. Non eſt quod ipſe opinaris homo hominis, Alladius Alladii, brutũ bruti vmbra. Neq; certe nobis ita laborandum eſt, vt res ipſæ ſenſiles vmbras ſuas habeant, cum præſertim illæ per ſe in locis collocatæ ita præſto ſemper & quaſi dicto audientes ſunt, vt in animos veniant noſtros non vocatæ.

Perge deinceps, bone Alexander, de vmbris modificatis more ſophiſtarum balbutire. Vmbræ modificatæ, inquis, vel rerum ſunt, vel etiam verborum. Probes mihi hanc diſtributionem bonam eſſe & erit tibi lemneſcata palma: certè maximè videtur eſſe captioſa, & mirabili ſophiſmate implicata. Etenim omnes omnino vmbræ vel rerum ſunt, vel etiam verborum: non tantum illæ quæ appellantur modificatæ. Si. M. Ciceroni auſcultaſſes, nũquam in

arte illa quam profiteris tam imprudenter esses lapsus. Sic ille, quoniam, inquit, rerum similes imagines esse oportet, & ex omnibus verbis notas nobis similitudines eligere debemus: duplices similitudines esse debent, vnæ rerum, alteræ verborum. Violasti ergo legẽ καθόλου πρῶτον, quia vni parti inscienter attribuisti, quod fuit toti prudentius assignandum. Sed fac distributionem istam non sophisticam, fac etiã bonam esse, tamen ab hac arte prorsus aliena est, quia materiæ subiectæ distinctionem continet. Nam

Prop. *Ars generalis & communis materiam sibi subiectam non diuidit. In dialectica inuentionis & iudicii doctrina non est alia rerum, alia verborum, sed tota ad res omnes & inueniendas & iudicandas pertinet. In Grammatica & Rhetorica non fit vlla distinctio rerum quæ in iis explicantur; quid ita? quia ad res omnes sibi subiectas declarandum omnino & communiter adhibentur. Neque artis communis præceptum aliquod huius proprium illius alienum est: & γενικὰ γενικῶς explicãda sunt inquit Aristote-*

*ſtoteles. Vnus eſt Londini fluuius Thameſis, ad varias opportunitates accõmodatus, ad potandum, lauandum, irrigandũ, purgandum, reſtinguendum, vehendum: & ita ſinguli eius riuuli, non ad diſtinctos vſus, ſed ad eoſdem omnes referuntur. Sic artes generales non ſolum totæ, ſed earum etiam minutiſſimæ partes circa res omnes verſantur.*

*Ars memoriæ tota communis eſt. Nec vllis cancellis circumſcripta eſt, quo minus vagari liberè & circa res omnes verſari poſſit. Debet enim æquè latè patere ac naturalis memoriæ facultas, cuius illa quædam eſt deſcriptio.* Aſſump.

*Ergo ars memoriæ non debet materiam ſubiectam diuidere, ſed vnã tradere communem doctrinam tam res quam verba recordandi. quod tu nequaquam,* Diſcone, *facis, qui alias rerum alias verborum vmbras fingis, earumque duplicem doctrinam inſtituis.* Concl.

Ecce mea memoriæ doctor, tela, ecce artis tuæ vulnera. nunc iaces: diffidis: deponis haſtas: nec vllam potes guſtare ſpem, poſſe aliquando artem

tuam ex hoc recenti vulnere nimis ægram & debilitatam recreari. Gaudio, ita me dii ament, euolutum esse te atq; nudatum omnibus integumētis simulationis tuæ. Nunc omnibus exploratum esse potest, quod ante occultatum latuit, non te Anglicanam iuuentutem ad ingenuam alicuius rei disciplinam erudire, sed stultitiæ & leuis ac ventosi ingenii tui locupletissimos testes publico Londini præconio colligere.

Vmbras rerum vel absolutas facis vel mathematicas. Nummarie Doctor, erras, & ea distinguis, quæ maxima cognatione inter sese continentur. Nam

Prop. *Vmbræ, quæ hauriuntur ex causis, effectis, subiectis, adiũctis, dissentaneis, comparatis, nominibus, distributione, definitione, testimonio, absolutæ sunt.*

Assump. *Vmbræ mathimaticæ ex causis, effectis, subiectis, adiunctis, &c. hauriuntur. Zodiaci partes & decuriæ cum ad numeros exprimẽdos vsurpantur, subiectis vtimur ad adiuncta recordanda: sic etiam triginta elementa cum eorum effectis & adiunctis, verborum sunt adiuncta.*

Ergo

*Ergo vmbræ mathematicæ absolutæ sunt.* Concl.

Age Argyrophile, hanc amentatam hastam repelle si potes: si non potes, concedendum tibi est, eâdē omnes vmbras tuas esse dissipatas. Si partitus fuerim hominem in animum, corpus, caput, ventrem, in cachinnos teipsum insolentius effuderis. Quid ita? quia, dices, venter & caput non sunt distinctæ partes ipsius hominis, sed membra quædam quæ corpori ad eius perfectā compositionem affiguntur: Simili planè modo cum vmbræ partitionem a te allatam perpendo, ne meipsum quidem a risu, vel rogatus, temperem. Vnā tu vmbræ speciem sic immensam & latè patentem fingis, vt cœteras ambitu suo complexas teneat. Quod ipsi poetæ ad fingendi licentiam nimis liberi nunquam somniassent. Quousq; illudes nos *Discone?* quousq; effascinabis oculos nostros fuco leuissimi artificii? num Anglos existimas iudicio sic esse nullo, vt mentis tuæ inopiam & siccitatem non cognoscant? Minuenda tibi ista est opinio: & de nostris hominibus a-

li-

liquanto magnificẽtius existimandum. Dices, me tibi ingratum esse quòd nimis quam par est curiosè in artem tuam inquiro : tibi in animo esse teipsum fingere & formare ad multiplices hominum volũtates, quibus vitia sæpè iucunda sunt: vt næuus in articulo pueri,etsi corporis macula fuit,tamen Alcæum delectauit, ita hanc distributionum tuarum insulsitatem & insolentiã lectoribus iucundam fore. At verò lector is qui elegantissimis artibus institutus fuerit,ineptias & stultitias tuas haudquaquam deuorabit.

Vmbras absolutas definis quæ nullam secum numeri differentiam afferunt. Egregie doctor, egregius profecto es Aristotelis magistri tui simius. « Eodem modo in Topicis genus ille de- « finuinit : genus est,quod nec est diffe- « rentia,nec proprium,nec accidens. Vtriq; elenchum peperistis, quia definitio negata non docet rei scientiam,sed potius dedocet inscientiam.

Ad mathematicas vmbras nostra iam festinet oratio; Nam magna mihi spes elu-

elucet, posse me ex iis diuinum aliquid & reconditum elicere.

*Res, inquis, mathematicæ nec vmbras simplices, nec absolutas. i. modificatas argumentis logicis proiiciunt.*

*Numeri sunt res mathematicæ.*

*Hæc assumptio deest.*

*Ergo numeri nec vmbras simplices nec absolutas proiiciunt.*

Doleo vehementer *Discone*, sic esse te in mathematicis infantulum, nec eruditum illum puluerem attigisse. Eripe te profecto ex hoc languore & inscitia tua, vt veritatem ipsam mecum possis agnoscere. Propositio syllogismi tui mirifico aspersa est mendacio. Dic primùm liberè cur res mathematicæ vmbras simplices non capiãt? an quia non videntur esse sensiles? at verò inprimis sub sensum cadunt. Etenim quanto vnaquæq; res communior est, tanto non solum menti sed ipsis quoq; sensibus est illustrior. Quin etiam singulis rebus percipiẽdis generales notitiæ inprimis in sensus incurrunt. Quod eminus mouetur, prius certè corpus, deinde

de animal, postea hominem esse dicimus. Vnde in Opticorum libris theorema est, quòd generales visibilium species prius occurrunt oculis quam speciales. Neq; id me tantillum mouet quod res mathematicas dicis abstractas esse, & ab omni materiæ cõcretione auocatas. Quippe licet illæ mente abstrahantur, tamen actu cum rebus singulis ita conglutinatæ sunt & colligatæ, vt eas nullo modo possis diuellere. Audi doctissimam P. Rami sententiam, vt tandem videre possis quomodo artis tuæ præcepta vacillant & claudicant. Quamuis, inquit, magnitudines, corpora, superficies, lineæ, puncta, mẽte abstrahãtur a qualitatibus physicis & sensibilibus raro, denso, calido, frigido, leui, graui, humido, sicco, reuera tamen esse in iis ipsis physicis corporibus Aristoteles sæpe & solicitè confirmat in physicis: vbi nominatim ait rationes & demonstrationes esse de magnitudinibus sensibilibus: non tamen quatenus sensibiles sunt, sed pro vt tales sunt. Et sic Vitellio ad 3. P. 2. verisimè ait.

Omnis

# G.P. Admonitiuncula.

Omnis linea qua peruenit lux a corpo- „
re luminoſo ad corpus oppoſitum, eſt „
linea naturalis ſenſibilis latitudinem „
quandam habens, in qua eſt linea ma- „
thematica per ſpeciem imaginationis „
aſſumenda. Deniq; magnitudinis geo- „
metricæ intelligentia eſt mentis, mag- „
nitudo tamen ipſa, linea, ſuperficies, „
corpus, eſt reuera in ſenſili & phyſico „
corporé. Hæc P. Rami, hæc Ariſtotelis, hæc Opticorum eſt doctrina. Vt ergo res mathematicæ vmbras ſimplices habent: ita quid impediet quo minus habeant abſolutas? An audebis nẽgare illarum & cauſas, & effecta, & adiuncta, & diſſentanea, & comparata, & ſpecies, & omne argumenti genus eſſe? ſtatuas velim apud animum tuum, logicam diſciplinam tanquam flumen eſſe, quod nullis concluſum ripis erumpit, & latisſimè per omnem rerum naturam effunditur.

Sed vt remittam tibi de rebus mathematicis errorem tuum, expone quæſo nobis quid tibi ſit commercii cum Zodiaci ſignis, & cum capite ac cauda draco-

draconis lunæ? Vides opinor artem tuam nugatoriam & puerilem esse: ideóq; decerpis ac delibas ex omni scientiarum genere flores quosdam, quibus illa distincta esset & perspersa. Quod si dixeris ex Zodiaci signis & lunæ circulis, suppeditari nobis immensam quandam vmbrarum supellectilem, erroris & stultitiæ insimulandus es. Nam

*Artes consequentes non sunt antecedentibus necessariæ, quia sine iis hæ docere possunt non contra.*

*Ars memoriæ antecedit, signorum & circulorum lunæ doctrina sequitur. Generales artes natura priores sunt, speciales natura posteriores.*

*Ars memoriæ generalis est, signorum doctrina, id est Astronomia specialis est, quia illa circa rem omnem, hæc circa cœlum versatur. Ergo nec Astronomia, neque illius pars vlla necessaria est ad artem memoriæ.*

Animaduertis quomodo disputem? quomodo te refellam? quomodo artis tuæ neruos elidẽ? quomodo ioculares nugas & ab omnibus derisas excutiam?

Sed

# G.P. Admonitiuncula.

Sed quid ago? cur ſic in refutatione exardeſco? cur ſignorum vſum aſpernor & abiudico? qui & præclarus, & mihi ignotus eſſe poteſt. Quocirca, memoriæ doctor, explica nobis ingenii tui diuitias & ornamenta, aperito nouum illum & excellentem ſignorum vſum.

*Et quoniam, inquis, numeri negotium agitur, eius primùm in partes ex ſignis zodiaci eſto diuiſio. Singula deinde orbis huius ſigna, ſingulas decurias ex ordine ſortiantur. Tum vero etiam ad digitos in decuriis inſinuandos omnia quidem ſigna decem partibus diuiſa & diſtincta ſunto. Erunt igitur* 120. *quæ ſi minus ſatisfacere videantur, idem in errantibus etiam & imagine draconis lunæ tentetur eodem modo: fient* 200. *quorum vſus in librorum capitum cæterorumque ſimilium cenſu firmáq; perceptione incredibilis eſſe videatur.*

Ille me dolor nõ nihil torquet, quod nullũ in cælo ſpaciũ vacuum ſit relictũ. Tu enim inprimis dignus es, qui decimum

mumtertium signum facias, quod tam vtilem signorum vsum peperisti. Quod si autem ab aliquo deo impetrare possem, vt Tauri amputaret cornua, sperarem aliquando te in cœlo representari potuisse.

De methodo & animatione oratio longior non est expromenda. Hæc enim cum vmbris & subiectis arctissimè implicata sunt, quæ si ruunt, fieri non potest quin illa eodem collapsa motu concidant.

Nunc postremo conferamus Dialecticorum methodum cum hac arte tua, huius vsum cum illius dignitate, vt facile pateat, cui tandē ex his vtrisq; priores demus. Methodus e naturæ fontibus effluxit, & ad eam omnes cum aliquid recordandum est confugiunt. Quid tuum illud memoriæ artificium *Discone?* an suam a natura stirpem repetat? an vllam vsus & experientiæ cōprobationem habeat? Nata est illa primùm ex affecto Græculi nescio cuius cerebro: & a communi benè recordantium consuetudine vehementer abhorret.

horret. Methodus veros locos habet pro rerum varietate inter se distinctos. Genera (vt appellant) generalissima in supremũ locũ euehuntur, subalternis speciebus tribuuntur mediæ quædam & interiectæ sedes, & res natura specialissimæ in imas sedes compinguntur. In arte tua loci quales sunt? verósne dices an fictos? si veros, mendax es: si fictos, non repugno, quia magnam labeculam aspergis arti tuæ. In methodo imagines rerum non densæ & obscuræ, sed nitidæ, depictæ & illustres proponuntur. Quippe illa tota clarissimis definitionibus ac diuisionibus tanquam stellis quibusdam distincta est & frequentata. Ars tua describit fugientes quasdam vmbras, & fumos nescio quos leuitate sua prorsus euanescentes. Quocirca methodo palmam concedat hæc fracta & debilitata memoriæ disciplina.

Hæc de arte breuiter decursa sunt: quam nugatoriam & spinosam subtilitatem esse vel ex eo constabit, quod a doctissimis hominibus contempta sit

& vehementer repudiata. An primum si ars ista legitima esset, & si vllam micam veritatis haberet aut recti P. Ramus eam aspernatus esset? scilicet ille non cognouit hanc præclaram artem, & illum obsorbuit æstus nescio quis ingenii ac velut abstraxit ad refellendam veritatem. Ain' tandem? an studium tuum magis est, quam fuit vnquam P. Rami? an consilium? an iudicium? an acumen? an labor & industria? quæ si in illo minima fuissent, præ tuis facultatibus maxima putarentur. Cum vero apud literatos illustrem teneat locum, quam non mirandum est, si tibi, qui vix e carceribus egressus es, coronam præripiat? sed inureretur prius omnibus maledictorum notis millies Ramus, quam ad laudationem huius artis exornandam vocem vllam mitteret. Præterea quid est quod illi philosophi, cum acumine ingenii tum facultate recordandi admirabiles Quintilianus, Talæus, Frigius, Beurhusius, Patricius, Valerius, cur inquam hi philosophi eius artis abiectæ & prorsus derelictæ

lictæ patrocinium non ſuſceperunt? cur eam orbam & deſtitutam velut boni tutores non aluerunt? Haud quaquam hercle credendum eſt philoſophos per medias ſapientiæ laudes quaſi quadrigis vehentes, in loco tam facili labi & errare, potuiſſe: quanquam quis tam oculatus? Quis tam lynceus eſt? qui aliquando non impingat? Quocirca, quid tibi iam *Diſcone*, faciendum eſt? perſeuerare in errore tutò non potes, niſi infamiæ maculam, quam ipſe iampridem ſuſcepiſti, in nomine tuo perpetuò inſidere & inueteraſcere libenter cupias. Itaque muta iam mentem iſtam mihi crede, obliuiſcere artis & opinionis tuæ: noli amplius, ad quam opinionem iudicii leuitate tanquam vento delatus es, ad eandem quaſi ad ſaxum perpetuò adhæreſcere.

bene recordandi s

AUTHOR P, G.

LIBRARY HUNTINGTON LIBRA

LIBRARY REF. NO. 21

ORDER NO. 15139



END

UNIV

ANN A

scientia.

DATE 1584

BRARY

1579

S.T.C. NO. 19065

IVERSITY MICROFILM

N ARBOR MICHIGA